





26 23

**RECTOR**  
**ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,**  
**IO. HENRICVS**  
**BERGER D.**  
**CONSIL. ELECT. SAX. PAND.**  
**P. P. & h. t. ORD. IVRID.**  
**DECANVS,**  
**CIVIBUS ACADEMICIS**

S. P. D.





Vod faustum fortunatumque Saxoniae sit! SAXO EL. primus in sua gente Rex Poloniae electus, et Nonis Septembribus, sacro et solenni ritu inauguratus est, cuius admiratio felicitatis afficit omnes et admonet, ut suam quisque operam et gratulandi studium profiteantur. Cum autem regna saepe in casu et fortuna posita sint, tum Polonicum illud, Martiumque Regnum, in ultimis Christiani orbis, quae ad barbaros vergit, excubiis collocatum servari interest, et virtute consilioque administrari. In quo summam Regis auctoritatem obtinet Principum maximus fortissimusque, **FREDERICVS AVGVSTVS**, propugnator antea Hungariae acerrimus, nunc terror omnium immanissimorum hostium, qui fines Poloniae infestos habent. Quae nobis causa est, cur gratulationem novo Regi faciamus, atque ut diu



diu et feliciter praesit, votis precibusque  
contendamus. Nam Deo Reges curae  
sunt, cuius numine regunt, et res huma-  
nas moderantur, clavumque reipublicae,  
etiam coorta tempestate, tenent, neque in  
maximis fluctibus abiiciunt, neque in ul-  
timo naufragii discrimine animum de-  
spondent. Hoc animo est Rex noster,  
praesenti in periculis, firmo in dubiis, con-  
stanti in adversis rebus, quas non secure  
spectat, sed agendo et enitendo vincit.  
Stat ante signa, cum pugnat, et laboranti-  
bus tempestive subvenit, viamque facit  
ad dissipandos, aut frangendos hostes.  
Vires Thracum in Hungaria obtrivit, pro-  
fligato hoste barbaro et impio, ut quan-  
tum laboris bellici praemium esset, tan-  
tum victori decus servaretur. Reverso  
ex Hungaria, praeter gratulationes varias,  
nunciatum est Polonicae gentis in eum  
singulare studium, quo tunc quidem ad  
regnum capessendum invitatus, et cum  
res succederet, nova honoris, qui omni-  
um est in terris maximus, accessione cu-  
mulatus fuit. Quae solennia non mul-  
tis abhinc diebus in regia Cracaviensi,  
plau-



plaudente, et Regem prosequente senatu  
regni, populo maxime ad gratulationem  
effuso, feliciter et auspiciato peracta sunt;  
his rebus vero excitari nos intelligimus,  
et vocibus procerum, qui pro Rege cu-  
rant, et exemplis admoneri, ut eadem  
pietatis contentione, votis pro Regis sa-  
lute conceptis, in hac vrbe, et in arce, at-  
que arcis huius templo, more maiorum,  
pie ac publice concelebrentur. Quare  
mea patrumque sententia delectus est  
**Collega noster; Conradus Samuel  
Schurzfleischius**, qui nostro omni-  
um nomine gratulandi munus susciperet,  
religionemque obsequentis animi AV-  
GVSTO II. POLON. REGI, DOMI-  
NOQVE NOSTRO testaretur. Cu-  
ius instituti causa obsecramus Perillustres  
et Generosissimos Barones, Patres, omni-  
umque Ordinum Hospites, et literatae  
reipublicae Cives omnes ac singulos, ut  
confectis rite ab hora II. sacris, frequentes  
adesse, et in gratulationis partem venire  
ne graventur. P. P. Dominica XVII.  
post Trinitatis, Anno Dionysiano  
clō Ibc XCVII.







26

23

RECT  
 ACADEMIAE VIT  
 IO. HEN  
 BERG  
 CONSIL. ELEC  
 P. P. & h. t.  
 DECA

CIVIBUS AC

S  
 S  
 D.



18

